Ferquàm Cynicè & impudenter mentiris, p. 255.

Tu Capucine Diabolicè mentiris, p. 253.

Quæque in fine libelli mei de *notoriis* Ssmi Papæ ſui Lutheri *vitiis* dixi, vocat mendacia Cynica, imò diabolica p. 324. tametſi eadem ad oculum pateant cuivis opera eius inſpicienti.

Infandum SCELERIS convitiũ in me fulminat, cum ait p. 32. *Vereor, ut poſſit abſolvi à culpâ ſceleratæ calumniæ*, p. 255. 172. me dicit *ſceleſtè mentiri*. & p. 253. *ſceleſtè calumniari*.

Grande NEFAS exprobrat mihi p. 56. ibid. *in me innocentem*, inquit, *ſæviit Capucini calumnia, ac* NEFARIE.

Imò p. 148. omnibus Capucinis Hannoveranis inurere nititur notam *SCELERIS non minoris illo, quod Sacerdotes olim Draconis Babylonii commiſerunt*. pag. verò 151. aſcribit eiſdem *Impium & horribile crimen*. Ibid. *portentoſum*, inquit, *Capucinorum crimen*.

Malitiam terminis cûm expreſsis tûm æquipollentibus improperat mihi ad vices 30. & quidem p. 152 *enormiſſimam*, p. 172. *ſummam*, adeò ut p. 253. probiſſimus dicat Hermannus: *Pauci ſunt Capucinicâ improbitate*. & p. 254.

Cynico iſto capite nihil eſt iniquius.

Quin & *dæmonium* habere me crepat, cum ait p. 7. *in corde meo habitare* spiritum *non ſanè ſanctum, ſed* LONGE ALIUM.

Pag. 29. *ſpiritum malignum ſtatim ab initio ſcriptionis animum meum invaſiſſe & occupaſſe*. Hunc verò p. 137. vocat *Spiritum Capucinicum, & ipſum fortaſſe Caputiatum*. p. 296. *valdè ferocem & clamoſum*.

Pag. 249. dicit me à *Beelzebubo agitatum*. p. 129. 130. malì dæmonis artibus uſum. p. 87. ex *Beelzebubi officina* quàmmulta mutuatum.

Cynicum deniq; ſive Caninum in me jaculatur opprobrium vicibus decem & ſeptem: Nimirùm p. 33. 48. 51. 56. 107. 119. 139. 157. 188. 250. 254. 255. bis. 264. 272.